

Gloria Patri, etc Deinde repetitur Antiphona, *Asperges me, etc.*

56 In Sacerdotali ad usum Ecclesiae Brixinensis (*Bressenon*) edito de anno 1640. advertitur, ut sit Populus instructus ad actus reverentiales praestandos Sanctissimo Sacramento, dum hoc ad infirmos defertur: nempe: ut Sacerdote cum Vener. Sacramento transeunte, idem populus caput nudet, genua flectat, elevatis, ac conjunctis manibus Deum salutet, adoret, oretque pro Infirmo.

57 Genuflexio Sacerdotis imposita in hac Rubrica debet esse totalis, quia manus habet liberam, non vero junctis pollice, et indice prout in Missa; atque ideo facile surgere valet.

58 Aspersio fit circa lectum Infirmi, et postea pertotum locum ubi jacet, ad morbos pellendos, et Daemones fugandos: valet insuper, ut majori puritate aeger Sacram. suscipiat. V. *Asperges, etc.* ex Psal. *Miserere, etc.* Gavant. d. p. 4. l. 19.

§. IX. His dictis, accedat ad infirmum, ut cognoscat an sit bene dispositus ad suscipiendum Sacrum Viaticum, et utrum velit aliqua peccata confiteri, et illum audiat, atque absolvat, quamvis prius deberet esse rite confessus, nisi necessitas aliter urgeat.

59 60 61 Regulariter Sacramentum Viatici ad Infirmos non defertur primo Parochi accessu, nam si Infirmus debet dignosci an sit capax hujus Sacramenti, et an sit morti proximus alia visitatio praecedere debet, in qua si graviter laborare compertus sit; Poenitentiae Sacramentum debet illi prius ministrare: nihilominus, cum memoria hominis satis labilis sit, dari potest casus, quod aeger alicujus peccati reminiscantiam habeat, tunc solummodo, quando exhibetur illi Eucharista suscipienda. Ideo Rubrica nostra praecipit, ut Parochus accedat ad Infirmum, et petat, an aliquid dicere habeat circa conscientiam suam.

62 Sed non ad hoc tantum debet fieri iste accessus: opus est etiam, ut oculariter videat, an Infirmus persistat in bona voluntate suscipiendi Sacramentum, vel mente sana sit, non delirans, non somnolentus, non fastidiosus, non demum impotens ad recte percipiendum quid agat: potest enim dari casus quod intermedio tempore a Confessione ad Communionem, to-

taliter sensibus destituatur, atque ideo incapax sit hujus Sacramenti.

63 64 65 De Infirmo confiteri volente in actu Communionis affert casum Benett. d. *Coroll. 2. nu. 8.* et est. Si Parochus deferens Communionem Infirmo, qui velit seiterum confiteri, sciat, illum esse prolixum in narrandis peccatis, ita ut solitus sit non se expedire a confessione neque per dimidium horae: dicit Granad. in 3. p. *S. Thomae, contr. 2. art. 9. disp. 5. sect. 1.* quod possit Parochus monere, ut eliciat actum contritionis, illum communicare, et differre in reditu Confessionem: sin autem urgeat casus, audiat quae potest, et facta generali accusatione caeterorum, eum absolvat et statim Divino Pane reficiat. In praxi vero ista sententia non omni approbatione digna est, quia Sacramentum non patitur incommodum, et adstantes pigere, aut taedere non debet praestolari in casu tantae necessitatis. Ultra quam quod contritionis actus imponitur Peccatori tunc quando haberi non potest Confessarius, vel peccata nequeunt exprimi a confitente, vel tandem tempus confitendi non remanet. Sed in nostro casu tum adest Confessarius, tum peccata exprimi possunt, tum tempus superest sufficiens ad confessionem faciendam. Tutior est sententia *Sacramentalis Brixinensis, cap. 6. num. 8. dist. 5.* quod in hoc casu de Sacramento Eucharistiae loquendo, et de Infirmo interrogando, praecipit ut parochus interroget Infirmum secreto, an adhuc aliquid ei occurrat confitendum? Si nihil, eum communicet: sin aliquid, vel si nec dum confessus fuit, remotis astantibus, et Ostio clauso (si Vir est) excipiat Infirmi confessionem etiam prolixam, atque imposita salutari Poenitentia, absolvat. De facto per illa verba Rubricae, *nisi necessitas aliter urgeat*: Videtur, quod Rubrica dispenset Parochum ab auditione longae confessionis: Sed haec necessitas esse non potest, nisi tunc quando in proximo articulo mortis sit constitutus Infirmus. In hoc casu contritio Infirmi sufficiet; sed incapax quoque fortasse erit suscipiendi Sacram. Communionem. Quomocumque se res habeat, integritas confessionis remitti potest, ut possit moribundus sumere Viaticum, ut docet Pasqualig. *Tom. 1. quaeest, 453. num. 6*

§. X. Postea facta de more confessione generali, sive ab infirmo, sive ejus nomine ab alio: Sacerdos dicit: *Miserere tui, etc. Indulgentiam etc.*

66 De recitatione *Confiteor* loquitur Rubrica, et vocatur Confessio generalis quia omnia peccata in se continet, dum di-

cit: *Cogitatione Verbo, et Opere*. Sed ista est Confessio sum-
maria in epilogum, et pro forma tantum, nec per se sufficiens, si
desit vera cordis contritio.

67 Notandum, quod hic Sacerdos dicit: *Misereatur tui etc.*
non *Misereatur vestri, etc.* ut in Communionem ad Altare, et ra-
tio esse potest quia haec ministratio Sacramenti non est cum
Missa connexa: In Missa omnes adstantes participes sunt com-
munionis Sacerdotis: in Viatico vero solus Infirmus, ut alibi
diximus.

§. XI. Deinde facta genuflexione, accipit Sacramen-
tum de Vasculo, atque illud elevans, ostendit infirmo, di-
cens. *Ecce Agnus Dei, etc.* et more solito ter dicat: *Domine, non sum dignus, etc.* et more solito dicat eadem verba
saltem semel, submissa voce.

68 De hoc Ritu satis dictum est *in Rubrica 4. Paragraphi*
5. 6. 7. 8. Tituli antecedentis. Hic unice superadditur, quod
Infirmus simul cum Sacerdote dicat eadem verba, saltem se-
mel submissa voce, et hoc ad majorem humilitatem demons-
trandam, atque ad vere ostendendam cordis compunctionem.

Sacerdos enim pro se ipso non pronunciat illa verba, cum
tunc ipse non communicet; sed nomine Infirmi ita loquitur.
Si apud Deum ergo habeant haec verba vim, instrumentali-
ter a Sacerdote prolata, majorem sane vim habebunt si ab eo-
demmet Infirmo, qui communicare vult, proferantur.

§. XII. Tum Sacerdos dans infirmo Eucharistiam, di-
cat: *Accipe Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini*
nostri Jesu Christi qui te custodiat, etc.

69 70 Haec est formula statuta ab Ecclesia in administra-
tione Eucharistiae ad Infirmos morti proximis, quae verba
non sunt ommittenda a Sacerdote Communionem per Viaticum
praebente, quia valde esse proficua ex opere operantis, tam-
quam ab Ecclesia ordinata, movente, et docente illam Spiritu
S. docet Clericat. *d. dec. 19. nu. 12.* cum multis ab eo allegatis,
et praecipue cum Card. Brancat. *in cit. opusc. de Sacr. Viati-*
co, pag. 156.

71 72 Debent etiam clare exprimi ista verba, ut Infirmo
innotescat, se in via esse ad aeternitatem, et ita valeat se prae-

parare ad sumendum hoc Sacramentum pro custodia, et defen-
sione sui itineris. De facto S. Carolus, *Act. t. 4.* jubet ut Paro-
chus interroget Infirmum, an Sanctissimum Corpus Domini
sumere velit, et si pro Viatico dandum sit, id quoque exprimet;
ad quod pie, devoteque sumendum paucis verbis inflammabit.
Si ergo debet illi exprimere, quod pro Viatico praebetur illi
Sacra Eucharistia, debet quoque in actu illam praebendi, alta
voce hoc idem manifestare.

§. XIII. Si vero Communionem non datur per modum
Viatici, dicat more ordinario: *Corpus Domini nostri Jesu*
Christi, etc.

73 Vide quae superius diximus *ad Rubr. 4. §. 9.* Reasumi-
tur formula praescripta *in ordine ministrandi Communionem*
in Ecclesia, quando Infirmus morbo chronico laborat, et non est
in periculo mortis, quia reputatur tamquam sanus, sed impo-
tens adeundi Ecclesiam.

§. XIV. Quod si mors immineat, et periculum sit in
mora, tunc dicta, *Misereatur, etc.* praedictis precibus om-
nibus, vel ex parte omissis, ei statim Viaticum praebatur.

74 75 76 77 Est aliquis recens Author, qui asserit hanc
exceptionem difficillime in praxi poni posse: si enim, ait ipse,
adest tale periculum imminens mortis, ut si recitentur ante-
dictae Preces, quae breves sunt, timeatur non amplius superes-
se tempus praebendi Viaticum, Communionem juxta hujus Autho-
ris opinionem, non est illi praebenda, quia Sanctissima Eucha-
ristia exponitur periculo, ut vix sumpta aeger moriatur, nec
valeat species Sacramentales consumere. Verum haec singu-
laris opinio nullo modo est admittenda, quia opponitur com-
muni Theologorum sententiae, Universalis Ecclesiae praxi,
praedictae Ritualis regulae, et Canonicis sanctionibus. Ete-
nim *can. is qui 8. cap. 26. quaest. 6.* habetur: *Is qui in infir-*
mitate Poenitentiam petit, si casu, dum ad eum invitatus Sa-
cerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel si in phrene-
sim conversus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, et
accipiet Poenitentiam: et si continuo creditur moriturus, re-
concilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus
COM.—P. 40.

Eucharistia. Nullum est igitur absurdum Eucharistiam praebere illi, qui brevi est moriturus ita, ut non valeat vivens species Sacramentales consumere, quae permanere possunt inalteratae in humano stomacho per unius horae spatium juxta opinionem nonnullorum Doctorum, qui allegantur a Clericato, *de- cis. vigesima quinta, num. 7.*

§. XV. Postea Sacerdos abluat digitos, nihil dicens, et infirmo detur ablutio, Deinde dicat, *V. Dominus vobiscum.*

78 Nihil dicit in hac ablutione digitorum Sacerdos ad differentiam ablutionis, quae fit in Missa supra Calicem quando dicuntur Orationes: *Quod ore sumpsimus, etc.* seu *Corpus tuum, Domine, etc.* quae Orationes universorum fidelium Communionem amplectuntur.

79 80 81 82 83 Praecipitur ablutio, sed non assignatur, an facienda sit Vino, vel Aqua. Cum vero §. 11. hujus Tituli praeceperit, ut duo Vascula pararentur, alterum cum Vino, alterum cum aqua ad faciendam hanc ablutionem, videtur quod ad libitum reliquerit Sacerdotis, abluere in quo magis sibi libuerit. Nihilominus laudabilius est, ut Aqua se abluat, non vino; eo quia si post ablutionem de more praebendum est Vinum illud Infirmo, nuper communicato (ut si aliquantulum Sacramentum palato aegroti adhaeserit, valeat illud diluere, et deglutire) potest evenire, quod Vini causa, plura symptomata recrudescant, et alia de novo nascentur, ut in tussi laborantibus, inflammatione, delirio, phraenese, effectu hysterico in foeminis, et hujusmodi; in quibus casibus prorsus Vini usus a Medicis prohibetur, non autem Aquae, ratione morbi, *Bennett d. in Add. ad Paroch. §. 2. num. 12. et corollar. 2. n. 2.* Potest etiam dari, quod Aquae potus noceat; et in hoc casu vel ablutionem secum deferat Sacerdos ad reponendam in Sacrarario, vel igni tradat. Tutior modus faciendi hanc ablutionem esset si immerso aliquantisper Purificatorio in Vase Vini, seu Aquae parato, Sacerdos lino illo madido digitos abluat uno tempore, et tergat; nam si infirmus, ebibere debet illam Aquam, vel illud vinum in quo Sacerdos digitos immerserit, potest evenire ut nausea afficiatur in stomacho, et scandalum oriatur. Quod evenire nequit per immersionem Purificatorii. Laudabilem hanc praxim didici ab eximio Sacerdote Carolo Lenzio Centensi, in hac mea insigni Callegiata S. Blasii Sacrarum caeremoniarum peritissimo praefecto.

§. XVI. His expletis, si altera Particula Sacramenti superfuerit (superesse autem semper debet, praeterquam in casu jam dicto) genuflectit, surgit, et accipiens vas cum Sacramento, facit cum eo signum Crucis super Infirmum, nihil dicens, et reverenter illud deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam, dicendo Psalmum, *Laudate Dominum de coelis*, et alios Psalmos, et Hymnos, prout tempus feret.

84 85 86 87 88 Jam diximus, in pixide debere Sacerdotem ponere duas, vel tres Particulas consecratas, variis de causis, sed praecipue, ut saltem una remaneat in dicta Pixide, et deferatur in reditu ad Ecclesiam, ad hoc ut Populus comite- tur processionaliter cum veneratione eadem praestita in accessu ad Infirmum. Si vero iter longum sit, et magni incommodi, sufficit si una Particula afferatur, ut suo loco diximus: Sed haec pro exceptione habenda sunt. Regula generalis est, ut saltem una Particula consecrata supersit, ad Ecclesiam reportanda: in tali casu, priusquam Parochus discedat, non debet Infirmum non benedictum relinquere: ideoque accepta Pyxide, et ea cum Velo humerali cooperta, benedicere debet Infirmum, faciendo signum Crucis erga eum, sed nihil dicendo. Quare in isto loco taceat, Textus non dicit; credo tamen quod haec sit regula generalis semper tacendi quando Benedictio fit cum Sacramento, ut in Titulo *de Benedictionibus* dicemus. De facto si in manu Sacerdotis est omnium benedictionum, et bonorum largitor, inutilis, et supervacanea videtur omnis expressio Benedictentis, cum sit Deus, qui benedicat, non autem Sacerdos. Verum aliquis dicet: Tunc cum per Sacerdotem porrigitur Sacra Particula, fit ab eo Crucis signum, et ab eodem dicitur, vel *Corpus Domini nostri, etc.* vel *Accipe Viaticum, etc.* ergo non semper silet Sacerdos in benedicendo cum Sacramento. Cui respondeo, illam vere esse Benedictioem, quae impertitur a Sacerdote cum Sacramento, sed verba tunc prolata non esse verba benedictoria, vel Benedictioni congrua, sed deprecatoria et pro bono homine: impetrativo enim, seu deprecativo modo loquitur dicens: *Accipe: custodiat*, et hujusmodi.

89 Huic tamen opinioni contraria est praescriptio facta a S. Carolus *Act. p. 4. in Ordine ministrandi Eucharistiam infirmis*: ubi loquens de benedictione cum Sacramento facienda dixit: Qua Oratione peracta, genuflectit, Pyxidem utraque manu tenens, signum Crucis versus populum adhibet, benedicens his verbis: *Benedicat vos omnipotens Deus ✠ Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.*

90 Accepta itaque Pyxide, seu Vasculo cum Sacramento revertitur per eandem viam, et eo ordine, quo processit, ad Ecclesiam; circa quem ritum nihil habeo addendum, quod dictum alibi non sit quando locuti fuimus de modo deferendi Viaticum ad Infirmum. Omnia enim, et singula, quae illuc facta sunt, et hic servari debent.

91 Unice Psalmi, Cantica, et aliae Orationes, et preces mutandae veniunt, et per hoc praecipit Rubrica, ut in reditu ad Ecclesiam recitet Parochus Psalmum *Laudate Dominum de coelis*, et alios Psalmos, et Hymnos. Psalmus, *Laudate, etc.* est encomiasticum, et pro gratiarum actione solet adhiberi cum caeteris psalmis, qui ad Laudes dicuntur intra horas Canonicas; unde fit, quod etiam cani possunt caeteri Psalmi in hoc itinere, prout tempus feret.

Quoad Hymnos, reticendus non est *Page lingua gloriosi Corporis Mysterium*, et caeteri illi, qui in Officio Corporis Christi recitari solent. Si vero Populus, (ut evenire solet in locis foraneis) ignoret tum Psalmos, tum Hymnos, recitari potest Rosarium Beatissimae Virginis, ut alias diximus. Nonnulli quoque cantare solent Hymnum S. Ambrosii, et Augustini, nempe *Te Deum, etc.*

§. XVII. Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit Sacramentum super Altare, adorat, deinde dicit: *V. Panem de Caelo, etc.*

92 Si non adsit Corporale explicatum super Altare, explicetur illud, quod allatum est in Bursa ad Infirmum, et super illo reponatur Sacramentum: Deinde ad extremum gradum Altaris Sacerdos genuflexus adorat, ut interim populus Ecclesiam plene ingrediatur. Haec adoratio facienda est, ut diximus, genibus flexis, capite detecto, et manibus junctis ante pectus.

93 94 Nonnulli solent hoc loco intonare Hymni partem: *Tantum ergo Sacramentum*; quam totus Populus cantando prosequitur, sed Rubrica hoc non praecipit, quia fortasse supponit talem Hymnum totum per extensum cantatum fuisse in Processione, nempe *Page lingua, etc.* atque ideo immediate subjungitur versiculus, *Panem de Caelo, etc.* qui est consuetus post talem Hymnum.

95 *Dominus Vobiscum.* Licet a Rubrica assignetur, ut dicatur, tamen in nova Instructione ab Urbe missa ad functiones Eucharisticas, sub Clemente XI. Pontifice sublata fuit, haec dictio de mandato S. R. C. Semper tamen in editione

Ritualis pluries facta retenta fuit antiqua Cosuetudo, et ubique legitur, potissimum in hac occasione SS. Viatici.

§. XVIII. Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas Sanctissimum Sacramentum comitantibus.

96 97 Insurgere debet Sacerdos, et se ad Populum convertere, advertens ne terga vertat Sacramento adhuc exposito extra Tabernaculum, et Indulgentias annuntiare alta voce. Plures sunt istae Indulgentiae a diversis Pontificibus concessae, quas tamen singillatim enumerare non debet tunc Sacerdos; sed generice loquendo, sufficit ut dicat, omnes, et singulos, qui in associatione Sanctissimi Sacramenti ad infirmum interfuere, si id digne fecerint, lucratos esse omnes Indulgentias illis concessas a Summis Pontificibus Urbano IV. Martino V. et aliis, quo refert Brancat. *d. de Viatico, et Bullarium Romanum.* Summi enim Pontifices maxime studuerunt, ut digne, et decore administratio SS. Viatici fieret, et per hoc populus interessentibus Indulgentias plurimas contulere, quas deest ut annuntiet Parochus paucis verbis, cohortans populum, ut in religioso illo instituto perseveret, atque ita fideles in pace dimittet. *Act. p. 4. Ordo min. Euch. Sac. Infirmis.* Si annunciationi Indulgentiarum Parochus voluerit alia verba superaddere, poterit fideles ad devotionem excitare erga SS. Eucharistiam, eos monendo, ut in casu periculosae Infirmis solliciti sint ad tantum Sacramentum postulandum. Poterit etiam suadere ut in actu Benedictionis Populus oret pro salute tam spirituali Infirmi nuper communicati, quam corporali.

§. XIX. Postea cum Sacramento in Pyxide, velo cooperta faciat signum Cracis super populum, nihil dicens. Postremo illud in loco suo reponat.

98 Benedicere debet Sacerdos Populum eodem modo, quo benedixit Infirmum communicatum, nihil dicens, et cum Pyxide, Velo humerali cooperta; tempore hujus benedictionis pulsatur Campanula, ut Populus longe distans advertat, et humiliter se prostret; quod non fit in cubiculo Infirmi, quia ibi

omnes facile advertere possunt, et Benedictio tantummodo impertitur Infirmo.

Postremo, repositio Sacramenti debet fieri in loco, á quo prius extractum est, nempe in Tabernaculo, Priusquam claudat, genuflectit, et adorat: estque haec ultima salutatio, quae tunc fiat Sacramento: quo tempore moderni fideles dicendam introduxere quandam brevem Italicam cantilenam, duobus versiculis contentam, a Populo cantandam; hujusmodi. *Laudato ogni momento sia il Sanctissimo Sacramento; vel: Vi adoro ogni momento; O vivo Pan del Ciel, gran Sacramento;* seu alias similes a Sacris Missionariis inventas, et pietati Fidelium propositas.

§. XX. Quod si ob difficultatem, aut longitudinem itineris; vel quia ea qua deceat veneratione, Sacramentum ad Ecclesiam commode reportari non potest, sumpta fuerit una tantum Particula consecrata, ut dictum est: tunc ea Infirmo administrata, Sacerdos, praedictis precibus recitatis, eum manu benedicit, et una cum aliis privato habitu, extinctis luminibus, Umbella demissa, latente Pyxide, ad Ecclesiam, vel Domum quisque suam revertatur.

99 Difficultates plurimae oriri solent in casu Rubrica allato, et de illis loquuti sumus in hoc Titulo §. 12. unde remanet tantummodo aliquid dicendum de Benedictione, quam manu faciendam jubet Rubrica: non enim amplius Sacramentum habet, cum quo benedicat.

Si vero debeat quo que Sacerdos tacere in hac benedictione, et nihil dicere, Rubrica non docet: nihilominus ego animadvertens, quod in communionem faciendam a fidelibus ad Altare, post reconditum Sacramentum, Sacerdos convertens se ad Populum, benedicit manu extenta, dicens, *Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, etc.* opinor quod etiam in praesenti casu communionis per Viaticum debeant a Sacerdote dici eadem verba versus Infirmum, eo magis quia S. Carolus Act. 4. ut diximus §. 27. adhibenda docet verba. Certe in utroque loco Sacramentum non amplius apparet, nec discrimen invenire valeo, cur in uno loco loqui debeat, et in alio tacere, cum in utroque militet eadem ratio benedicendi pro dimittendis in pace fidelibus adstantibus.

100 101 Quoad privatum habitum, et depositionem aliarum rerum, quae huic functioni inserviunt, loquitur clarius S. Carolus Act. 4. loco citato, dum dicit: *Si quando sine Sacra*

Hostia redibit, Parochus antequam domo aegroti abscedat, lumine extingui jubebit: superpelliceum, stolam, tintinnabulum, Umbellam non adhibebit: Pyxidem palam non deferet. Equidem in hoc casu ministri interesse debent, qui totam hanc suppellectilem ad Ecclesiam deferant decenter reconditam, et sine contemptu. Quare non nisi laudabile erit si Parochus in habitu privato, nempe sua Clericali ordinaria veste indutus, ad Ecclesiam per ducatur a superenarratis Ministris; nam haec associatio inserviet etiam ad bonam custodiam habendam Sacramentum suppellectilium, praecipue tunc cum in manus Rusticarum Personarum inciderint, quae non distinguunt Aera lupinis.

102 In Urbibus cultioribus, et ubi iter breve, necnon quando Sanctissimum Viaticum ad Ecclesiasticas, seu Religiosas Personas defertur, solet etiam adhiberi Thuribulum cum incenso, quo Clericus Parochum praecedens, frequenti agitatione Sacramentum Hostiam incenset, tam in adeundo, quam in redeundo, et ante benedictionem, necnon et in actu benedictionis.

103 Postremo advertere debet Parochus, tunc cum ad aliquem Sacerdotem defert Sanctissimum Viaticum, secum quoque Stolum albi coloris deferendam esse separatam a propria, quam ipse adhibet, ut illam ad collum circumponat ejusdem Sacerdotis tunc cum communicat, pro ut jam diximus in *Titulo XXIV. §. 11. horum Commentariorum.*

104 Et quoniam id Parochiis multae vastitatis quandoque fit, quod Infirmus prope, et sollicita Viatici refectione indigeat, multoque spatio distat ejus domus ab Ecclesia Parochiali, provisum fuit per Summum Pontificem Innocentium XII. anno 1695. in peculiari Constitutione, seu edicto in magno Bullario inserto (*Addit. ad Bullar. p. 1. f. 29. Const. CVI.*) ut Ecclesiae Regularium, si in circuitu Parochiae adsint, praesentent, et praestare teneantur commodum Parochis, extrahendi SS. Eucharistiam Infirmis praebendam pro Viatico, nec denegare, aut impedire audeant usum adeo salutaris Sacramenti sub praetextu privilegiorum, aut alterius cujuscumque exceptionis, quibus omnibus Pontifex in hoc casu derogare intendit, imperando, et jubendo verbis illis in edicto, seu constitutione insertis, *Vogliamo, e comandiamo, che non sia denegato, etc.*

FINIS TOMI PRIMI.